



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de  
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,  
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Disp. VII. De actu exteriori fidei,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

90. Ad argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem primò dici potest, fidem explicitam de Christo non esse necessariam ad justificationem, nisi post sufficientem Evangelij promulgationem: tempore autem Cornelij non fuerat sufficienter quoad omnes promulgatum Evangelium, etiam in Palestina; cuius indicium est, quia non solum ad illum baptizandum, sed etiam instruendum de fide, missus est Petrus Actuum 10. Secundo respondeo, Cornelium habuisse tunc fidem explicitam Incarnationis quoad substantiam, quam, ut ait D. Thomas, à Judæis commorantibus in Cæsarea acceperat, & fuisse à Petro instructum de circumstantia temporis, quia ignorabat, an adhuc esset completa. Unde quando idem S. Doctor locis citatis ait, quod Cornelius habebat fidem implicitam Christi, & cum ea iustificatus est, hoc debet intelligi de fide implicita, quoad circumstantias Incarnationis, non verò quantum ad ejus substantiam.

91. Ad secundam, concessa Majori, nego Minorem: nam si homo nutritus in sylvis, vel apud barbaras nationes educatus, ubi nihil unquam audivit de Evangelio, bene viveret secundum legem naturalem, ex auxilijs divinæ gratiæ (sine quibus tota lex naturæ observari diu non potest) tunc ex iisdem auxilijs facienti quod in se est Deus non denegaret alias gratias actuales, necessariò necessitate medijs prævijs ad justificationem, inter quas est fides explicita in Christum Redemptorem, quam Deus illi concederet, vel mittendo aliquem Prædicatorem, vel aliquem Angelum ad illum instruendum, vel illum immediatè per seipsum illuminando interiùs de tali mysterio. Unde Act. 8. legitur Deum misisse Philippum ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, ut illum de fide Christi & mysterio Incarnationis instrueret, & baptizaret. Et D. Dionysius cap. 5. Cœlestis Hierarchie dicit multos Gentilium adeptos fuisse salutem per ministerium Angelorum, ut art. 3. retulimus. Item S. Thomas hic art. 7. ad 3. ait quod multis Gentilium fuit facta revelatio de Christo, & in hujus rei confirmationem refert, quod tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris ejus, inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O sol sub Helena & Constantini temporibus iterum me videbis.*

Ad aliud exemplum de puero, ad primum instans rationis perveniente, dicendum est, instans illud non esse physicum, sed morale, subindeque aliquam temporis moram, seu durationem includere, in qua puer potest vel immediatè à Deo, vel mediante homine, vel Angelo, de mysterio Incarnationis & Trinitatis instrui, seu illuminari, & per fidem explicitam utriusque mysterij, ad justificationem se disponere.

92. Ad tertiam dico, amorem illumerga Deum, quem Catechumenus potest concipere, ante propositam fidem explicitam Christi, esse quidem supernaturalem, sed tamen imperfectum, & non ex toto corde, sicut oportet ad justificationem: quia amor ex toto corde, qui est charitas, non est simplex complacentia de ipso sine ultimo, sed efficax tendentia & intentio finis, quæ requirit ordinem ad media, cum intentio non sit de fine simpliciter, sed in ordine ad media; atque adeò quia redemptio Christi est unicum & necessarium medium perveniendi ad finem, qui diligit Deum

A sine ordinè ad hoc medium, etsi habeat complacentiam & amorem simplicem de fine, non habet tamen dilectionem efficacem, quippe qui nondum attendit, nec intendit media necessaria ad hunc finem.

Ad quartam dicendum, nullum esse adeò rudis ingenij, qui si sit compos rationis, mysteria Incarnationis & Trinitatis, sibi sufficienter propòsita, confusè seu quantum ad substantiam apprehendere non valeat, maxime ex auxilio supernaturali, quod Deus non denegat. Si autem contendas dari aliquos adultos, qui, facta sufficienti diligentia & propositione, talia mysteria percipere, seu apprehendere non valent, dico quòd se habent, quantum ad hoc, sicut amentes & parvuli, qui sine ullo actu fidei salvantur: quod Adversarij dicere tenentur de illis, qui adeò bardi & stupidi sunt, quod Deum ut authorem & provisorum supernaturalem apprehendere non valent; cum in eorum sententia ad justificationem requiratur fides explicita de Deo, ut authore & provisorum supernaturali.

Objicies secundo: Apostolus ad Hebræos 11. explicans quamnam explicitè credenda sint ad justificationem & salutem, ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Sed in his verbis nulla fit mentio de Christo ut Redemptore: Ergo in nova lege fides explicita Incarnationis non est medium ad justificationem & salutem necessarium.

Respondeo cum D. Thoma in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1. quod Apostolus loco citato posuit illa quæ oportuit credi explicitè à quolibet homine in quocunque statu, sed non exclusit quin in statu legis gratiæ debeamus explicitè credere Christum Redemptorem, cujus virtute justificamur & glorificamur; quamvis fides illa explicita de Christo non sit necessaria ad justificationem & salutem, ex natura rei, sed ex institutione & beneplacito Dei, qui sicut non redemit genus humanum, nisi per Christum, licet occurrerent alij modi, ita noluit aliquem justificari, nisi per fidem Christi explicitam in nova lege, & implicitam in antiqua. Nec propterea est coarctata via ad salutem, ut aliqui opponunt, quia & præstò sunt auxilia ad hujusmodi fidem explicitam habendam, & modò abundantior datur gratia, quam in lege veteri, & per ipsam incarnationem homo mirum in modum ad amorem Dei excitatur & inflammatur; nam ut canit Ecclesia, *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapimur.* Adde non esse inconveniens, quod lex nova sit gravior quam antiqua, quoad actus interiores, licet sit facilior ex gratia, ut ex D. Augustino docet D. Thomas 1. 2. quæst. 107. art. 4.

E

## DISPUTATIO VII.

De actu exteriori fidei.

Ad quæstionem 3. Divi Thomæ.

Considerato actu interno fidei, superest ut de actu ejus exteriori disputemus, nimirum de confessione seu professione ejus, quæ actus fidei exterior dicitur, quia est extrinsecam potentiam in qua subjectatur fides, nimirum

intellectum. Duas autem solum circa hunc actum tractat D. Thomas quaestiones, quas articulis sequentibus resolvemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An exterior fidei confessio sit actus elicitus à fide, vel duntaxat imperatus?*

Valentia hic quaest. 3. puncto 1. negat exteriorem fidei confessionem esse actum ab ea elicitem: dicit tamen censeri actum illius virtutis, quia habet laudem ex objecto formali illius, & in illud tanquam in finem ordinatur. Huic sententiae favet Suarez lib. 2. de religione cap. 3. ubi docet nullum dari actum virtutis, ab ea elicitem, extra subjectum in quo est.

## §. I.

*Conclusio affirmativa statuitur.*

96. **D**ico tamen: Exterior fidei confessio à virtute fidei elicita, & non solum imperatur.

Probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. in corp. ubi sic habet: *Sicut conceptus interior eorum quae sunt fidei, est proprius fidei actus, ita & exterior confessio*: Sed hoc esset falsum, si actus externus fidei esset tantum ab illa imperatus, & non procederet efficienter ab habitu fidei, sicut actus interior: Ergo &c. Clarius adhuc in resp. ad 3. loquitur S. Doctor pro nostra conclusione, ait enim: *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum, medianibus aliis virtutibus, imperando, non eliciendo; sed confessionem producit tanquam proprium actum, nulla alia virtute mediante*. Ex quibus sic argumentor: Si externa fidei confessio non eliceretur ab ea, sed tantum imperaretur, illam non produceret fides, nisi mediante alia virtute, à qua nimirum elicitive procederet, ut constat: Sed ex D. Thoma in verbis citatis, externam fidei confessionem producit fides ipsa, nulla alia virtute mediante: Ergo illam elicit, & non solum imperat.

97. Probatur secundò ratione, quam S. Doctor ibidem innotat: Actus imperatus ab aliqua virtute, nunquam habet per se ordinari ad objectum & finem talis virtutis, sed per accideas tantum, & ex intentione alterius, ut patet in actu iustitiae, aut fortitudinis, à charitate imperato: Sed confessio exterior fidei per se & ex natura sua ordinatur ad finem & objectum fidei; nam exterior locutio per se ordinatur ad idem objectum, & eundem fidem, ad quem ordinatur interior locutio vel conceptus: *Exterior enim locutio (inquit S. Doctor) ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur*: Ergo exterior fidei confessio est actus ab ea elicitus, & non solum imperatus.

98. Confirmatur: Exterior fidei confessio est ex inclinatione talis virtutis, quae primario inclinatur ad assentiendum credibilibus, & secundario ad exterius profitendum & significandum talem assensum: At nullus actus ab aliqua virtute imperatus habet esse ex inclinatione ipsius, sed tantum ex inclinatione à qua elicitor: Ergo &c.

99. Probatur tertio conclusio, & simul praecipuum Adversariorum fundamentum convellitur: Si quid obstaret ne exterior fidei confessio eliceretur à fide, esset quia est actus alterius potentiae ab ea

A in qua residet fides; haec enim in intellectu residet, illa verò ab ore & lingua procedit, juxta illud Apostoli ad Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Sed hoc non obstat: Ergo praecipuum Adversariorum fundamentum corrumpitur. Major patet: Minor probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 15. quaest. 4. art. 1. quaestiuic. 2. in fine corporis, ubi dicit expressè, quod oratio est actus patriae elicitive, non obstante quod patriae sit virtus existens in voluntate, non verò in ratione, cujus actus est oratio. Et dist. 17. quaest. 3. art. 2. quaestiuic. 3. docet quod confessio peccatorum pertinet elicitive ad poenitentiam, & confessio beneficiorum Dei ad laetitia, & tamen constat has confessiones fieri ore seu lingua, quae est alia potentia ab ea in qua residet poenitentia & religio: Ergo similiter, licet fides sit virtus existens in intellectu, non verò in potentia exteriori, cujus actus est exterior fidei protestatio, elicitive tamen iste actus erit à fide.

100. Confirmatur ex Cajetano infra quaest. 31. art. 4. ubi sic discurre: *Virtuti attribuntur ut proprii actus, non solum si ejusdem sint potentiae, in qua est habitus virtutis, sed etiam aliarum potentiarum, dummodo non per aliam virtutem eos eliciant, ut patet in actibus iustitiae, temperantiae, & oppositorum vitiorum: iustitiae siquidem proprius actus est, non solum velle reddere cuique suum, sed exteriori actu reddere quod suum est, & similiter iniustitiae actus est auferre alienum: temperantiae quoque actus est, non solum concupiscere moderatè cibum, sed etiam exterior sumptio moderata, & similiter intemperantiae est exterior luxuria*. Ergo similiter non solum actus fidei interior, sed etiam exterior confessio erit elicitive à fide, quamvis actus ille exterior sit ab alia potentia ab intellectu, in quo residet fides, quia ille non fit per aliam virtutem distinctam à fide.

101. Secundò probatur eadem Minor ratione: Quamvis habitus fidei sit in intellectu, ut tamen actus externae confessionis ipsius ab ea elicitive procedat, sufficit quod ab habitu fidei diffundatur in potentiam externam aliquis modus, sive aliquod sui participium, quo mediante potentia externa illum actum producat; facta enim illa suppositione, potentia externa non solum elicit suum actum, sed etiam virtus fidei, non quidem per se immediate, sed mediante virtute sua, impressa potentiae exteriori: sicut non sola aqua maris elicit suum motum fluxus & refluxus, sed etiam talis motus elicitive procedit à caelo, mediante virtute quam communicat aquae ad talem motum: Atqui potest fides diffundere in potentiam externam hominis, eam habentis, aliquod sui participium; in hoc enim nulla est implicantia, ut constabit ex solutionibus objectionum: Ergo &c.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

102. **O**bjicies primò: Negare exterius fidem, non est actus elicitus ab infidelitate: Ergo nec illam confiteri exterius, erit actus à fide elicitus. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur: D. Petrus & Marcellinus negarunt exterius fidem: Sed talis negatio non fuit actus elicitus ab infidelitate; alias enim fuissent infideles, quod tamen communiter negant Theologi: Ergo exterius negare fidem, non est actus elicitus ab infidelitate.

Confirmatur:

103. Confirmatur: Hæretici sæpe exterius confitentur fidem, & tamen talis eorum confessio non est actus elicited à fide; quia, ut dicemus disputatione sequenti, in ipsis non remanet fides. Item Christus confessus est fidem exterius, juxta illud 1. ad Timoth. 6. *Testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem*. affirmans scilicet se esse Filium Dei, ut Glossa interlinearis exponit. Angeli etiam beati confessi sunt hominibus fidei veritatem, dicentes Luca 2. *Natus est vobis hodie Salvator*, & tamen docent communiter Thomistæ, quod nec in Christo fuit fides, neque existit in Angelis beatis. Dæmones quoque, in quibus etiam, ut infra dicemus, non reperitur fides, Divinitatem Christi confessi sunt Marci 1. dicentes, *Scio quia sis sanctus Dei*: Ergo externa fidei confessio non est actus elicited procedens ab habitu fidei infusa.

104. Respondeo ad objectionem, distinguendo Antecedens: Negare exterius fidem, non est actus procedens ab infidelitate, quando illa negatio non procedit ex interiori incredulitate, ut contingit in Petro & Marcellino, qui Christum non negarunt interiorius, sed tantum exterius, concedo Antecedens: quando negatio illa externa provenit ex interiori incredulitate, ut contingit in Hæretico, nego Antecedens. Similiter distinguo Consequens: Ergo confiteri exterius fidem, non est actus elicited à fide, si non fiat ex credulitate interiori, & supernaturali, piaque affectione, sed à fide naturali, ut accidit in Dæmonibus, & Hæreticis, concedo: si fiat ex credulitate interiori, & supernaturali, sicut in homine fidei, nego. Uno verbo, quando diximus confessionem fidei externe esse elicited ab habitu fidei, hoc intelligendum tantum est in fidelibus, non verò in illis qui carent fide supernaturali: & per hoc patet ad confirmationem.

105. Obijcies secundò: Habitus fidei illum duntaxat actum elicited, qui est à potentia, quæ existit ejus subiectum: Sed confessio exterior fidei non est actus potentie, quæ sit subiectum habitus fidei: Ergo nec est actus elicited ab illo habitu, sed duntaxat imperatus. Minor est certa: subiectum enim fidei est intellectus, potentia verò, cujus protestatio fidei externa dicitur actus, est similiter externa & materialis, ac proinde distincta ab intellectu. Major verò probatur: Sicut nulla forma accidentaliter operatur sine subiecto in quo est, ita nec aliqua virtus aut habitus elicited actum, nisi mediante potentia in qua subiectatur: Sed fides, cum sit una simplex qualitas, nequit subiectari in pluribus potentiis, subindeque nec extra intellectum, in potentia exteriori: Ergo &c.

106. Respondeo negando Majorem: Sicut enim, ut jam dictum est, fluxus & refluxus maris est elicited non solum à mari, sed etiam simul à cælo; quia licet cælum sit extra mare, est tamen in mari virtus ad fluendum & refluxendum, quam producit cælum: ita similiter, quamvis habitus fidei subiectetur solum in intellectu, quia tamen aliquam virtutem, sive modum participationis suæ virtutis, producit in potentia exteriori, quæ mediante talis potentia elicited confessionem externam, dicitur simul cum illa, non quidem immediate, sed mediante suâ virtute, elicere talem actum. Neque obstat quod fides sit una & simplex qualitas: ex hoc enim tantum concluditur, quod non possit esse in pluribus potentiis immediate; sed cum hoc fiat, quod possit immediate existere in una, & mediante virtute à se diffusa esse in alia.

Tem. IV.

A Instabis tamen: Fides non potest producere extra intellectum modum participationis suæ virtutis: Ergo nulla solutio. Consequentia patet: Antecedens verò probatur. Si fides aliquem modum suæ virtutis diffunderet extra intellectum, id esset mediante duntaxat actu intellectus: Sed hoc non potest mediante actu intellectus, utpote qui est essentialiter immanens, ac proinde non egrediens extra intellectum: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad cujus probationem dico, quod licet actus intellectus sit ex sua essentia formaliter immanens, simul tamen est virtualiter transiens, ut patet in actu imperij, quo Angelus cælos movet, & alia corpora transmutat, ille enim est formaliter immanens, & virtualiter transiens, & si hoc veritatur in dubium, *irrationabilis dubitatio videtur*, inquit S. Thomas opusc. 11. art. 3.

B Urgebis adhuc: Quando virtus vel potentia superior imperat inferiori ipsius actum, aliquid ei imprimit, quo actuata elicited suam operationem ordinatam ad finem imperantis: Ergo ex eo quod potentia externa hominis non elicited confessionem fidei, nisi ut actuata modo aliquo perfectionis, à fide in eam derivato, ad summum concluditur, quod confessio illa sit imperativè ab habitu fidei, non verò elicited.

C Respondeo distinguendo Antecedens: Quando virtus sive potentia superior imperat inferiori ipsius actum, aliquid ei imprimit quo elicited suam operationem, ordinatam ad finem virtutis imperantis, tanquam ad objectum sibi accidentale & extrinsecum, concedo Antecedens. Quo elicited suam operationem ordinatam ad finem virtutis imperantis, tanquam ad objectum sibi intrinsecum & essentialiter, nego Antecedens, & Consequentiam: potentia enim externa, actuata modo illo, qui est participium virtutis fidei, in eam derivatum, elicited confessionem fidei externam, ordinatam ad objectum formale fidei, tanquam ad aliquid sibi intrinsecum & essentialiter, ut patet ex dictis in secunda probatione.

D

ARTICVLVS II.

An detur præceptum confitendi fidem, & quando nam fideles peccent contralud?

Dico primò, duplex esse præceptum professionis externe fidei: unum affirmativum de fide exterius profitenda, quando id necessarium est: alterum negativum de fide non neganda, & nihil unquam agendo exterius quod fidei repugnet. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi licet faciat solum mentionem præcepti affirmativi fidei; quia tamen in quolibet præcepto affirmativo includitur præceptum negativum, quo prohibetur actus contrarius, ut patet in præcepto affirmativo dilectionis Dei, quod continet præceptum negativum, quo prohibetur odium Dei; non negat S. Doctor dari præceptum negativum, prohibens actum contrarium professioni externe fidei, qui est negare exterius fidem. Utrumque verò præceptum ex Scriptura aperte colligitur, præsertim ex illo Matth. 10. *Omnis ergo qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.*

Dico secundò, præceptum affirmativum de fide

Rr

exteriùs profitenda, non obligare fideles, datà quavis profitendi occasione, sed tantùm in quibusdam casibus: unde per se loquendo licitum est etiam Pastoribus & Prælatibus fugere, vel se occultare, tempore persecutionis.

Prima pars hujus assertionis est evidens: nam ut discurret D. Thomas hic art. 2. *Præcepta affirmativa non obligant ad semper, etsi semper obligent: obligant autem pro loco & tempore.* &c. Sic ergo confiteri fidem, non semper, neque in quolibet loco, est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: puta si quis interrogatus de fide, raceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per ejus taciturnitatem averterentur à fide.

111.

Quinque ergo exitimo dari casus, in quibus præceptum affirmativum de fide exteriùs profitenda, obligat fideles. Primus est ille quem Divus Thomas adducit, nimirum quando omisso confessionis fidei cederet in injuriam fidei, vel Dei, aut scandalum proximi: unaqueque enim virtus, quando ejus honestas periclitatur, ad ejus defensionem obligat: similiter etiam quilibet fidelis tenetur conservare divinum honorem, & fidem proximi, quando imminet periculum detrimenti. Unde regulatiter loquendo, interrogatio facta tempore persecutionis à Tyrannis, inducebat hanc obligationem; quia tunc publico certamine agebatur Christi causà, & Martyres vocabantur ut testes; & omisso confessionis eedebat in injuriam fidei, & Dei, tuncque in aliis fides periclitabatur.

Secundus: quando quis Ecclesiæ corpori aggregatur, & veluti inseritur: quod in nova lege fit per Baptismum, in quo cum præmittantur interrogationes de fide quam profiteretur, tenetur illis per confessionem fidei satisfacere. Et certè, si aliquo tempore vitæ suæ teneatur homo fidem suam profiteri (ad quod non est dubium, propter Dei revelantis auctoritatem & majestatem, ipsum obligari) illud est tempore Baptismi; cum enim tunc fiat membrum visibile visibilis Ecclesiæ, debet in se signum visibile ipsius incorporationis edere & profiteri.

Tertius: quando homo est in articulo mortis, si fit tunc rationis compos: hoc enim est receptum Ecclesiæ consuetudine, ut homo seipsum contra tentationes gravissimas, quæ tunc solent obrepere, scuto fidei præmuniat.

Quartus: quando actum aliquem Religionis debet, & ut oportet, exercere non possumus, nisi verbis aut signis ipsam fidem profiteamur: exempli causà, dum Missam solemnem, in qua recitandum est Symbolum fidei, celebramus.

Quinto, ratione charitatis interdum ad confessionem fidei tenemur: v. g. quando aliquis videt alios ab hæreticis depravari, nisi ipse fidem tueatur aut profiteatur, tunc ex præcepto illo quo Deus unicuique mandavit curam habere de proximo, tenetur eam profiteri & defendere.

Denique Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformatione, & sess. 25. cap. 2. & Pius V. in motu proprio, qui incipit *in Sacrosancta*, præscribunt ut omnes hi, qui promoventur ad beneficia curam animarum habentia, & ad Canonicatus, vel dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, ac Professores in Academiis publicis, sive Clerici, sive Laici, fidei professionem edant.

Secunda pars conclusionis est contra Tertullianum, in libro de fuga in persecutione, ubi docet non esse licitum fugere, vel se occultare tempore persecutionis. Sed oppositum ex Scriptura aperte colligitur: nam Matth. 10. Christus dicebat Apostolis: *Cum autem persequerentur vos in civitate illa, fugite in aliam.* Et 2. ad Corinth. 11. Paulus de seipso sic ait: *Damasci præpositus Gentis Areta Regis voluit me comprehendere, & à fratribus per murum dimissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus.* Id etiam patet exemplo Sanctorum Blasij, Athanasij, Cæsarij, & aliorum, qui fugerunt, vel se occultarunt tempore persecutionis, quamvis essent Episcopi & Pastores. Ratio verò est, quia hujusmodi fuga non est per se mala, cum non sit negatio fidei, sed potius quædam ipsius confessio, & pars quædam martyrij, cum exilium pro fide suscipitur: aliunde verò necessaria esse potest ad majus bonum, vel ad vitandum majus malum, puta ad consulendum suæ fragilitati, vel ad vitam pro aliorum salute conservandam: quæ utilitas, vel fragilitas, tanta interdum est, ut fuga fit non modo licita, sed & moraliter necessaria. Non licet tamen fugere, si fuga vergat in contumeliam Dei; cujusmodi fortè fuit Apostolorum fuga, Christum deferentium non sine aliqua ipsius ignominia: aut si fuga censetur esse negatio fidei, cujusmodi fuit secessio unius ex quadraginta martyribus à stagno frigido in calidum, obtemporando Tyranno, qui pro deficientibus à fide, calidam aquam prope apponi jussit: vel si fuga noceat aliorum saluti; ut si alicujus præsentia necessaria sit aliis in fide confirmandis, quorum salus spiritalis propriæ vitæ periculo anteponenda est; debemus enim pro fratribus animam ponere, ut dicitur 1. Joan. 3. Et hoc maxime habet locum in Prælatibus & Pastoribus, qui non possunt licite oves deferere in necessitate, & qui non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia, tenentur illis assistere.

Dico tertio, præceptum negativum de fide non neganda, & nihil unquam agendo exteriùs quod fidei repugnet, obligate semper, & pro semper: subindeque hominem graviter peccare, si exteriùs neget fidem, quamvis eam in corde retineat. Hujus oppositum tenuerunt olim Helcesaitæ, qui ut refert Eusebius Cæsariensis lib. 6. histor. cap. 18. asserabant non esse peccatum, fidem exteriùs negare, maxime tempore persecutionis, & ad vitanda gravia tormenta, dummodo interius animo teneatur. Idemque docuerunt, teste Augustino, cap. 20. libri de hæresibus, & cap. 6. libri contra mendacium, Priscillianistæ, inter quos erat vulgatum proverbium, *Iura, perjura, secretum prodere noli.* Hic tamen error ab Augustino locis citatis abundè refutatur ex variis Scripturæ testimoniis, præsertim ex illo Matth. 12. & Luca 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo; & ex illo 2. ad Timoth. 2. Si negaverimus, & ille negabit nos.* Dicitur etiam Luca 22. quod cum Petrus, ut se ab imminente mortis periculo liberaret, Christum negasset, *egressus flevit amare*; cum tamen ipse fidem mente & corde retinisset. Unde Chrysostomus homil. 25. super Matth. *Radix confessionis, fides est cordis, confessio autem fructus est fidei.* Et Augustinus lib. de fide & symbolo, cap. 1. *Fides à nobis exigit officium cordis & lingua.*

Ratio etiam suffragatur: Negare enim fidem, est intrinsicè malum, & mendacium perniciosum, quò gravem primæ veritati revelanti irrogamus

injuriam: vel enim dicimus ejus testimonium, seu revelationem non esse veram, vel saltem illam fidei dogmata minimè revelasse, sed à quodam conficta esse; quod est expressum mendacium: Ergo non potest licitè fieri, etiam ad vitandam mortem, vel gravia tormenta. In hoc conveniunt omnes Theologi.

116. Sed difficultas est, an ad tuendam vitam, vel aliquod grave malum vitandum, saltem liceat veram Religionem dissimulare, aut simulare fallam: hoc enim licitum esse videntur docere D. Hieronymus epist. 89. ad Augustinum, & Adrianus in 4. qu. 1. de Baptismo art. 1. ad 5. & suaderi potest variis exemplis ex Scriptura desumptis. In primis Apostoli Iudaismum simulaverunt, post ejus abrogationem: nam (ut Petrum omittamus, cuius simulatio est reprehensa à Paulo, ad Galat. 2.) Paulus ipse Timotheum circumcidit propter Judæos, Actuum 16. & à nemine reprehensus est; imò Jacobi Apostoli, & seniorum hortatu, purificavit seipsum Judaicè, & voluit offerre sacrificium, ut ostenderet se legem custodire, Actuum 21. Secundo Eliseus permittit Naaman Syrum adorare cum Rege in Templo Remmon, & fingere se adorare idolum. 4. Regum 5. Tertio Jehu finxit se velle adorare Baal, & sacrificare cum ejus Sacerdotibus, ut eos interficeret. Et hoc ejus factum laudatur à Domino 4. Regum 10.

117. Nihilominus hæc sententia communiter rejicitur à Theologis, & plusquam falsa reputatur. Et sanè simulationem idololatriæ peccatum esse, quando adest articulus confessionis fidei, convincunt exempla Marcellini Papæ, quem adolendo thus idolo, sicque idololatriam simulando, peccasse certissimum est: Eleazar etiam, qui sciens talem simulationem peccatum esse, noluit simulare se manducasse de carnibus porcinis, quas lex Judæorum prohibebat comedere, 2. Machab. 6. ibique tanquam iniqua damnatur commiseratio illorum, qui talem simulationem illi suadebant. Verba sacri textus hæc sunt: *Hi qui abstabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse: sicut Rex imperaverat, de sacrificij carnibus, & hoc factò à morte liberaretur: quibus Eleazarus respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum: non enim, subdit, citari nostra dignum est fingere.* Hinc Cyprianus scribit de lapsis post medium, graviter invehitur in Christianos Libellaticos, qui cum diis non sacrificassent, nec sacrificare vellent, à Judicibus tamen per pecuniam libellum aliquem, quo eos sacrificasse constabat, ad evadendum mortis periculum, impetrabant. Legendus est Metaphrastes in vita S. Sabæ, ubi refert Sanctum illum, videntem nonnullis Christianis carnes idolis non immolatas obrudi, ut eos satisfecisse edicto Imperatoris, quo omnes immolatis vesci jubebat, appareret, exclamasse: *Qui hos cibos comederit, Christianus esse non potest.*

118. Ratio etiam suffragatur: Nam ut ait D. Thomas, infra quæst. 111. art. 1. omnis simulatio peccatum est, & à mendacio solum distinguitur, quia mentiens verbis significat quod non est, simulans verò hoc idem factis, vel rebus designat: Ergo sicut Christianus, qui metu mortis verbis significaret se esse idololatram, mentiens peccaret mortaliter contra præceptum confessionis fidei; ita eodem modo peccaret, si idem factis, vel rebus

Tom. IV.

A significaret, idololatriam simulans. Unde

Ad primum exemplum in favorem adverte sententiæ adductum respondetur cum S. Augustino, & D. Thoma 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 1. quod tunc illa ceremoniæ Judaicæ erant fidelibus Judæis adhuc licitæ: Lex enim Judæorum habuit triplicem statum: primus fuit ab ejus promulgatione usque ad mortem Christi; & tunc fuit viva, & obligatoria respectu Judæorum: secundus fuit à morte Christi usque ad sufficientem Evangelij promulgationem per paucos annos; & tunc fuit mortua, id est non obligatoria, quia in Cruce Christus dixerat, *Consummatum est*; non tamen adhuc erat mortifera, ideòque ob rationabilem aliquam causam, & maxime ad vitandum scandalum fidelium Judæorum, poterat licitè in aliquibus observari ab Apostolis, qui natione erant Judæi: tertius status currit à sufficienti promulgatione Evangelij, in quo talis lex Judæorum non solum est mortua, quia non obligat, sed etiam est mortifera observantibus, quia mortaliter peccant qui eam observant.

B Ad secundum dicendum, Naaman tantum petiisse ab Eliseo, ut sibi liceret fungi erga Regem obsequio solito, nempe ut Rex sibi semper inniteretur, sive in Templo, sive alibi, orans, sacrificans, aut aliquid aliud agens; atque sibi liceret officij causâ adorare, id est, juxta vocem Hebraicam, inclinare se ad sustentandum Regem genua flectentem: quod non minus potuit ei permitti, quam permittitur famulis comitari, secluso scandalo, vel periculo subversionis, heros infideles, vel hæreticos ad templa sua, ibique illis officia solita exhibere; quod per se nullam professionem religionis falsæ continet, cum sit merum ministerium politicæ observantiæ, non sacra ceremoniæ; licet hinc aliqui decipi possint per accidens, existimantes religiosè id fieri.

C Ad tertium respondet D. Thomas infra quæst. 111. art. 1. ad 2. *quod simulationem Jehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab idololatria Hieroboam non recedens: commendatur tamen, & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal.* Unde quod de illo dicitur 4. Regum 10. *Quia studiosè egisti quod rectum erat,* intelligendum est quantum ad substantiam operis præcepti ex objecto, destructionem scilicet cultus Baal, non quoad ceteras circumstantias: non solum enim simulando idololatriam, sed etiam exercendo illud opus ex malo sine temporali, peccavit, ut colligitur ex S. Augustino lib. contra mendacium cap. 2. & Ruperto in illud Osee 1. *super domum Jehu.*

D Ex his facile haberi potest resolutio alterius difficultatis, quam aliqui hic pertractant, an scilicet liceat uti signis infidelium, & assumere eorum vestes, ut fidem nostram occultemus. Dicendum enim est, quod quando res aliqua naturalis sua, vel communi gentium usu, ad ceremoniam quandam religiosam referuntur, ita ut ex se, & primaria sua institutione, alium usum commodum non habeant, illis ut ad se occultandum nullo modo, etiam ad evadendum mortis periculum evadendum, licet v. g. thus adolere coram idolo, aut ei genua flectere, cœnam Calvinisticam sumere, vestem in qua est idolum depictum gestare: cum enim hæc non alium apud homines usum, præter religiosum & ceremonialem, habeant, eorum usus non est fidei veræ occultatio, aut dissimulatio, sed mera & virtualis idololatriæ

Rr ij

aut hæresis professio. Quando autem vestes & signa infidelium habent usum aliquem primum, licitum & humanum, etsi lege aliqua politica destinata sint ad distinguendos fideles ab infidelibus, licet illis ad occultandum fidem suam uti: quia talis usus non est professio, aut protestatio etiam virtualis falsæ religionis; cum tales vestes, & signa non sint per se instituta ad protestationem religionum, sed tantum lege politica inducta ad commodiorem conversationem inter sectatores religionum, ex illa distinctione proveniente, & consequenter qui hæc induxit, non voluerit inducere obligationem mediis his profitendi fidem. Unde nimis rigidum, & minus probabile videtur, quod ait Cajetanus hic art. 2. *Sicut mortaliter peccaret, si quis diceret se esse Iudæum, aut Mahumetanum; ita mortaliter peccaret, si uteretur veste, aut birreto, aut quocunque alio signo proprio Iudæis in illa patria, aut proprio Mahumetanis, v. g. si quis in terra Soldani, uteretur tobaliâ albâ in capite, quæ est propria Mahumetanis, aut si quis in his partibus uteretur signo, quo discernuntur Iudæi.* Minus (inquam) hæc sententia probabilis est: per se enim talibus signis, aut vestibus, non significatur falsæ religio, sed conditio talium personarum, quæ debent vel aliqua tributa solvere, vel in loco ab aliis separato habitare. Nec eadem est ratio de illis signis aut vestibus, ac de verbis quibus aliquis significaret se esse Mahumetanum, aut Iudæum: nam ad significandam falsam religionem primò per se talia verba instituta sunt; illæ autem vestes, & signa, non sunt per se primò instituta ad protestationem religionis, sed tantum lege politica inducta ad commodiorem conversationem inter homines, ut supra dicebamus. Ex quo

123. Inferes primò, quòd si Princeps infidelis juberet ob aliquem finem politicum, ut omnes hæreticorum templa adirent, & eorum conciones audirent, licitum esset Catholicis, secluso scandalo, & periculo perversionis, obedire illi ad vitandas graves pœnas: nam id non esset professio sectæ hæreticæ, sed actio per se indifferens, quæ ad notandos hæreticorum errores, ante Principis mandatum fieri posset. Secus esset, si Princeps id juberet ob symbolum religionis, & ad discernendos Catholicos ab hæreticis: tunc enim esset quædam professio sectæ hæreticæ, eò ire, sicque omninò illicitum, etiam si quis protestaretur se non adire ad profitendam sectam hæreticorum, sed tantum ad obediendum Principi; ut decisum fuisse dicitur a Paulo V. consulto de hoc, occasione cujusdam edicti Regis Angliæ; & videtur manifestum, nam aliàs simili protestatione facta, potuisset Eleazarus carnes porcinas manducare.

124. Inferes secundò, Catholicos Angliæ, vescendo carnibus diebus Veneris, & in Quadragesima, ad se occultandum, minimè peccare, licet ad protestationem libertatis Evangelicæ talis esus fuerit permissus, & introductus in Angliam. Ratio est: Tum quia abstinentia à carnibus his temporibus est tantum juris positivi, & Ecclesiastici, quod secundum omnes in tam gravi periculo minimè obligat: Tum etiam quia esus carnium, ultra professionem hanc libertatis præterens, usum aliquem humanum & bonum habet, nempe seipsum enutrire & reficere.

125. Inferes tertio, Sacerdotem Gentilem, aut Turcicum, ad fidem nostram conversum, non teneat vestes, quibus uti solet, statim deponere, & se

A prode, atque periculo evidenti mortis se exponere: quia hujusmodi vestes habent usum aliquem primum, licitum, & humanum, nempe tegere corpus.

Inferes quartò, licitum esse Christianis, qui in commodum Reipublicæ Christianæ mittuntur ut exploratores ad terras infidelium, aut per eas ob commodum proprium transire debent, uti eorum vestibus, ac deferre genus illud pilei, quem Turcæ Turbantem, seu Cidarim vocant, ne ab eis ut Christiani agnoscantur, & capiantur, ac occidantur. Hoc enim solet fieri ab omnibus, etiam timorata conscientia, & a viris Religiosis, qui ad conversionem infidelium mittuntur, ut testatur hic disp. 4. dubio 9. Pater Philippus à S. Trinitate, qui partes orientales, propagandæ fidei Christianæ causâ, peragravit.

Inferes quintò, militibus Christianis pugnantibus contra Turcas, aut alios infideles, licere eorum vexillis uti, ut eos capere possint: nam hoc non est eorum sectam simulare, sed quoddam genus insidiarum. Imò etiam si in vexillis esset signum Mahumeti, aut Lunæ, vel Martis, Palladis, aut Jovis, asserunt multi licitum esse illis uti.



## DISPUTATIO VIII.

De habitu fidei, ejusque subjecto, causis & effectibus.

A quæst. 4. usque ad 8.

Consideratis objecto fidei, & actibus ejus, agit S. Doctor de habitu, seu virtute inclinante in tale objectum, & actus illos eliciente, ejusque proprietates, subiecta, causas, & effectus investigat, à quæst. 4. usque ad 8. Nos autem hæc omnia in hac disputatione breviter exponemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

Verum habitus fidei, etiam prout est informis, & à charitate separatus, sit vera virtus, & qualis?

Certum & indubitatum est apud Theologos, fidem formatam esse verè & propriè virtutem. Nam ut discurret D. Thomas hic quæst. 4. art. 5. *Quicumque habitus est semper principium boni actus, potest dici virtus humana.* Talis autem habitus est fides formata. .... nam ex ratione ipsius fidei est, quòd intellectus semper feratur in verum, quia fidei non potest subesse falsum, ut supra habitum est: ex charitate autem qua formatur fides, habet anima quòd infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum, & idèò fides formata est virtus. Solum ergo difficultas est, an etiam fides informis, & à charitate separata, sit vera virtus: id enim videtur negare D. Thomas in eodem articulo, ubi post verba relata, subdit: *Fides autem informis non est virtus: quia etsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis.* Ratio etiam id suadere vide-